Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes, mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Non potens restituere in foro interno &c. num. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

Visual Library

abſolvendum) nam talis eſſe poſſet pœnitens, taleſque circumſtantiæ poſſent occurrere, ut confeſſarius debeat *n* eſſe contentus ſolo propoſito reſtituendi, etiam ſi antea ſæpe juſſus omiſerit reſtitutionem.

n *nu. 18. ex Navarro, Valentia, Molina, Azorio.*

Et Molina *o* quidem exemplum adhibet; ut ſi confeſſarius non leviter credat, pœnitentem re ipſa reſtiturum ſtatim, ſine mora, quia non ea acrimonia fuerat illi juſſa reſtitutio in alijs confeſsionibus; vel ſi aliæ adſint circumſtantiæ ad id credendum; præſertim ſi injungat illi, ut non prius accedat ad Euchariſtiam, quàm reſtituat.

o *Molin. t.3.d.756.*

Non potens reſtituere in foro interno &c.

12. Quoties pœnitens accedit, cum impotentia reſtituendi, *p* eſt abſolvendus, ſi dicat, ſe habere firmum propoſitum reſtituendi, eſto, ſæpius antea reſtituere culpabiliter omiſerit, idque, etiam ſi reſtitutio facienda ſit ex decimis. Ratio eſt, quia concilium Tridentinum, dum præcipit confeſſarijs, ne abſolvant debitores decimarum, quouſque eas ſolverint, intelligendum eſt loqui de debitoribus potentibus reſtituere, & qui non reſtituendo peccant; unde impotentes benè poſſunt abſolvi, etiam ſi in exteriori foro habeantur excommunicati, ſi in conſcientia excommunicationem non incurrerunt, quia jam erant impotentes, quando lata fuit excommunicatio. Verùm, ut dicetur in materia de excommunicatione, hi monendi *q* ſunt, ut in foro externo ſe gerant pro excommunicatis.

p *num. 19. ex Molina.* q *ibid.*

13. Quod ſi erant potentes, quando excommunicatio lata fuit, eamque re vera incurrerunt, non poſſunt abſolvi à peccatis, extra articulum mortis, niſi prius abſolvantur ab excommunicatione, per eum, qui poteſt; per Bullam verò cruciatam poſſunt abſolvi, ſi præſtent cautionem, de quo latè alibi.

Hæc ex Dicaſtillo. Nos verò quandoquidem ex tot implicitis quæſtionum dumetis (utinam inoffenſo pede) jam tandem emerſimus, finem imponamus huic libro, atque bona lectorum venia tantiſper quieſcamus.

Finis Libri Octavi.

LAUS DEO, BEATISSIMÆ VIRGINI, AC B. ALOYSIO.